

(f. 221-228). Ces solutions ne sont pas indiquées dans le titre du livre.

---

MICHAEL SOPHIANVS  
FRANCISCO GONZAGÆ ILL<sup>MO</sup> AC R<sup>MO</sup> S. R. E. CARD.  
S. P. D.

Nemini obscurum esse arbitrator, Franciscæ Gonzagæ cardinalis amplissime, ex iis qui vel mediocriter in studiis litterarum doctrinisque versati sunt quam difficilis opera suscipiatur ab iis qui suam ad Aristotelis scripta de græco vertenda industriam conferunt. Id ego cum alias sæpe in variis doctorum virorum interpretationibus ad meam utilitatem conferendis, tum proxime in libris eius *de Anima* conuertendis expertus sum. Quem ut hoc tempore laborem susciperem, Junctarum me fratrum honesta voluntas adduxit; qui, cum ad alia multa Averrois, quem prope ex omni parte renouatum edebant, ornamenta, hoc etiam accedere vellent ut Aristotelis libri, maxime qui *de Anima* inscribuntur, quam emendatissimi exirent, me potissimum cui corrigendi negotium darent, delegerunt. Ego vero, etsi quantum ingenii industriæque ea res postularet non ignorabam, tamen suscepi rem, quod illis honesta petentibus nihil dene-gandum esse ducerem; et hæc scilicet me spes aleret, si vetustam tralationem cum græco exemplari accuratius contulissem, fore ut cumulatissime meo promisso satisfacerem. Quæ me postea opinio longe fefellit. Etenim tralationem illam adeo fœdam ac ineptam esse repperi, ut nec Aristotelis verba fideliter exprimeret et pluribus in locis eius sententiam perverteret. Accedebat eo quod cum recentiores philosophi veteris interpretis inscitiam perspicerent, atque huic incommodo remedium afferre cuperent, pro suo quisque ingenio, hos libros emendare aggressi sunt; verum, cum leuiter græcis litteris essent imbuti, non modo quod voluerunt assecuti non sunt, sed cum multo maioribus tenebris pluribusque difficultatibus eos involverunt: tum vero tam varia & inter se discrepantia exemplaria reddiderunt ut in germana illius auctoris interpre-

